

Georg Detharding


## **Commentatio Theologica De Accommodatione Verbi Divini Ministri Ad Captvm Vvlgj**

Gottingae: Typis Io. Christ. Dieterich, 1782

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004833415>

Druck Freier  Zugang





UNIVERSITÄT ROSTOCK

Diss. theol.  
Deth-

V. 1114. 29.

Diss. theol.

Landes-Bibliothek  
Rostock i. M.

COMMENTATIO THEOLOGICA

DE

ACCOMMODATIONE

VERBI DIVINI MINISTRI AD

CAPTVM VVLGI.

---

AVCTORE

GEORGIO DETHARDING

ROSTOCHIENSI.

---

GOTTINGAE,

*Typis* IO. CHRIST. DIETERICH.

1782.

1833  
1833

COMMENTATIO THEOLOGICA

DE

ACCOMMODATIONE

VERBI DIVINI MINISTERII AD

CAPITVM VVLGI

AUCTORE

GEORGIO BETHARDING

ROSTOCKENSIS

GOTTINGAE

APUD IO. CHRIST. BIERICH.

1783

VIRIS

ILLVSTRIBVS, DOCTISSIMIS, DE LIBERA IMPE-  
RIALI LVBECCA PRAECLARE MERITIS

VIRO

IOANNI  
CASPARO LINDENBERG

IVRIVM DOCTORI CELEBERRIMO DOCTISSIMO ET  
CAVSARVM PATRONO MERITISSIMO

VIRO

FRANCISCO  
BERNHARDO RODDE

REIPVBLICAE LVBECENSIS SENATORI PRVDENTIS-  
SIMO, ET CAMERARIO PRIMARIO

COLLATORIBVS STIPENDII SCHABBELIANI  
MVNIFICENTISSIMIS

FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS

OMNI HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV PRO-  
SEQVENDIS

D. D. D.

VIRIS

ILLVSTRIBVS. DOCTISSIMIS. DE LIBERA IMPR.  
RIALI FABRICA PRAECLARE MERITIS

VIRO

IOANNI  
CASPARO LINDENBERG

IVIVM DOCTORI CELEBERRIMO DOCTISSIMO ET  
CLASARVM PATRONO MERITISSIMO

VIRO

FRANCISCO  
BERNHARDO RODE

REIPUBLICAE LAVBECENSIS SENATORI PRUDENTIS-  
SIMO, ET CAMERARIO PRIMARIO

COLLATORIBVS STIPENDII SCHARRELIAMI  
MUNIFICENTISSIMIS

FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS

OMNI HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV PRO-  
SEQVENDIS

D. D. D.

COMMENTATIO THEOLOGICA

DE

ACCOMMODATIONE

MINISTRI VERBI DIVINI AD CAPTVM

VVLGI.

§. I.

**S**i qui forte sint, quibus impudens et temerarium videatur, me iuuenem infirmum, destitutum iustis doctrinae copiosae et exercitii in scribendo praefidiis, eo tamen audaciae progredi, vt, in qua me exercitiores doctioresque propter lubricitatem soli, infirmis pedibus vacillantibus interdum lapsi sint, in arenam scriptorum et auctorum prodire et summorum huius Georgiae Augustae, cuius et me per quinque semestria ciuem fuisse et ab ore tantorum virorum pependisse semper gloriabor, doctorum oculis et iudiciis hanc meam qualemcunque, quae quam sit exigua ac tenuis ipse sentio, scriptionem exponere non erubuerim: velim isti, antequam iudices de me sedeant deque audacia mea damnatoriam sententiam pronuncient, rationes, quibus commotus in conspectum virorum doctorum publicum me protrahi passus sim, audiant et examinent. Scilicet

Exordium et  
scopus Tractationis.

A

con-



contulerunt in me Fautores honoratissimi Lubecenſium tot tamque egregia beneficia, quae non modo gratiſſimi animi iucundiſſimum officium mihi imponunt, ſed id etiam a me exigunt, vt ſpecimine quodam publico declarem, me honorifica benefactorum voluntate, qua me ornarunt auxeruntque nec plane indignum fuiſſe nec eſſe.

Est mihi praeterea chariſſimus pater meorum morum ſtudiorumque a iuuentute prima rector et moderator, qui, quicquid a grauiſſimo munere reliquum erat temporis indefſo ſtudio ad me formandum erudiendumque id omne inhibuit, quique a me iure ſuo expectare poſſe videtur fructum ſui laboris. Cui quidem dulciſſimo capiti ſi ego hoc ſpecimine qualicumque et depoſito tirocinio comprobare mea ſtudia, referre, quas in aeternum habebō, grates, nec non digno patre me non indignum filium eſſe, praeflare et declarare poſſem, non modo in ſinu gauderem, ſed et vberriſimos fructus huius laboris cepiſſe me putarem. Quapropter opto et oro, vt viri docti, ad quorum oculos hic libellus forte perueniet, meam tenuitatem et infirmitatem benigno et humano ore excipiant, quaeque defectura ſint meae inopiae et ad ſcribendum latine non ſatis adſuetae iuuentuti, quae praefentio non pauca fore, ea pro humanitate ſua et facilitate meae pietati in Fautores honoratiſſimos patremque cariſſimum ignoſcant.

§. II.

Iam vero quum in eo essem vt argumentum eligerem, <sup>Argumentum</sup> quod nec iis, quibus hoc labore placere vellem, indignum, <sup>proponitur.</sup> nec meis viribus impar esset, quodque et lectum iri et a me posse elaborari sentiebam (quam opto me recte sensisse!) incidit animus in quaestionem, de qua inter me patremque meum saepius sermo extitisset, cuique tractandae et discutiendae me suffecturum non dubitabam, quod illa e disciplina Theologica hausta esset, cui primum Rostochii dein Butzouiae et tandem Goettingue omne tempus omnesque vires meas me sacrare memineram. Non ingratum fore videbatur lectoribus, nec mearum virium modulum tenuem excessurum, si a me quaereretur: *an, et quomodo Verbi diuini Minister ad captum Vulgi accommodare se debeat?*

§. III.

Esse autem hoc argumentum, de quo differere nunc <sup>Argumenti</sup> animus est, admodum graue et perutile, si recte tractetur, <sup>natura et indoles</sup> <sup>declaratur.</sup> omnibus, qui vel munus ecclesiasticum iam obeunt, vel illi se in Academiis praeparant, videtur mihi extra omnem dubitationis aleam positum esse. Cum enim nemo populum cum successu docere emendareque possit, nisi qui ab eo intelligatur et probetur, inde iam euincitur, doctori vulgi imprimis studendum, vt ita doceat viuatque, ne populus ab eo alienetur. <sup>E</sup> Etsi enim vulgus, ipso Demosthene iudice, a) ἀσαφηνότατον πρᾶγμα των ἀπάντων, και

a) Demosthen. *περι Παραπροσβειας*, p. 383. 5. ed. Reiskianae.

ἀσυνθεωτάτον, ὡςπερ ἐν θαλάτῃ πνεῦμα ἀκατά-  
 σατον ὡς ἂν τυχοί, κινούμενῳ h. e. *res varia et mutabilis*  
*semper est*: tamen idem magnus Orator leges adeo laudat,  
 quae πάντα φιλανθρώπως καὶ δημοτικῶς φραζέσσι πρα-  
 τειν. b) Si vero populus populariter tractatus flecti se pati-  
 tur et fingi, sequitur inde, non modo esse certas regulas,  
 quarum cognitione et usu orator facer in mentem ani-  
 mumque vulgi influere possit, sed esse etiam vel maxime  
 e re et commodo illius, qui cum populo agit, ut et no-  
 uerit perspectasque habeat has regulas et sequatur illas.  
 Quaestio itaque haec *de Accommodatione Oratoris sacri ad*  
*captum vulgi*, e Theologia pastorali desumpta, non merae  
 curiositatis, sed summae est utilitatis et ad bene admini-  
 strandum munus sacrum, quod Paulus καλὸν ἔργον e) vocat,  
 et ad formationem emendationemque maximae partis homi-  
 num, nempe vulgi. Ne itaque futuri sint, qui me recte  
 reprehendant, me argumentum vel plane inutile, vel leuio-  
 ris momenti tractandum suscepisse, vix equidem vereor.

#### §. IV.

Quid sit vul-  
 gas et eius ca-  
 ptus?

Quae cum ita sint, duo imprimis in hac qualicumque  
 Disputatione a nobis inuestigabuntur: primum, *an debeat*  
*Verbi diuini Minister se accommodare ad Captum vulgi*, de-  
 inde, *quomodo id recte fiat, nec ne?* Antequam vtrumque  
 recte possit definiri et bene doceri, necesse est, ut rerum  
 vocabula bene distinguamus. *Vulgum* apud probatos Scrip-  
 tores

b) Κατα Τιμονατος p. 707. 23. ed. Reisk.

c) 1. Tim. III. 1. ibique Interprett. ed. Verff.

tores plerumque de turba et multitudine hominum incondita sumi, adeo inter omnes constat, vt nobis monentibus vix egeat. Nos autem in hoc specimine iuuenili non notionem τ& ignobilis, turpis et infidi cum hoc vocabulo coniungimus, sed potius eodem, quo populum plebemque, sensu vsurpantes intelligimus quotquot solida doctrina ingenium non aluere, nec vera virtute animum ad bonum et honestum formauere. His monitis, quisque mihi largietur, vulgum non modo in infima hominum classe quaerendum sed et in splendidis aedibus, in aulis adeo Principum obuium, nec ideo esse Oratorem sacrum quemquam, cui non agendum sit cum Vulgo; qui semper, cum pauci sint, qui ad veram doctrinam iustamque virtutem peruenerint, plurimam singuli coctus S. Parochiae partem constituit. *Captus* vero apud bonos Auctores modo denotat actum capiendi, apprehensionem, modo, quo sensu hic a nobis adhibetur, ingenii vim atque mensuram siue conditionem significat. *Captus Vulgi* itaque nobis erit modus cogitandi et sentiendi illorum, qui non ad iustam doctrinam veramque virtutem enisi sunt. Inde ex hac inopia iustae cognitionis veraeque virtutis oriuntur tot falsa rerum iudicia, turpes superstitiones, praedudicatae animorum opiniones, errores, suspiciones etc. cum quibus certamen ineundum est illis, qui populum sanctissimam religionem bene docere eundemque secundum hanc fingere et formare volunt.

Quid deno-  
ret accommoda-  
re se ad captum  
Vulgi.

§. V. *Accommodare* porro eodem sensu occurrit, quo appli-  
care, adiungere et adhibere. Ille, mea quidem sententia,  
recte dicitur se accommodare ad captum vulgi, qui in lo-  
quendo, agendo, in dictis et toto habitu externo, non se,  
suasque ideas, sententias, cogitationes et utilitates vnice se-  
quitur, sed populi imprimis rationem habet, quidque a  
vulgo intelligatur, laudetur, optetur sedulo investigans,  
eo suas curas, sua studia, suam eloquentiam, et totam vi-  
tam dirigat, vt primo illis, quos docere et emendare vult,  
placeat: quod vbi adsecutus fuerit, tunc demum messem  
ex sua segete, laborum fructum, expectare recte potest.

§. VI.

Vtrum V. D.  
M. incumbat of-  
ficium accommo-  
dandi se ad mul-  
titudinis ingeni-  
um?

Generatim explicatis vocabulis et formulis, quae de-  
inde in hac tractatione saepius occurrent, quaestionem ip-  
sam, quam ventilandam hoc Schediasmate suscepimus nunc  
proponemus: *Incumbitne oratori sacro officium, accommodandi  
se ad vulgi captum?* Non merae consuetudinis causa, quam  
illi, qui ordine res suas proferunt, obseruant, vt quaestio-  
nem *an?* praemittunt alteri *quomodo?* haec ita formo et  
instituo: sed quoniam multi mihi innotuerunt, qui non  
modo dictis scriptisque, sed etiam ipsis moribus declara-  
runt, negare se V. D. Ministrum sequi debere captum mul-  
titudinis. Nam, putant multi, parochianos oportere acce-  
dere ad pastorem, non hunc se adiungere ad ipsorum volunta-  
tes; libertatem christianam id peculiare priuilegium, conce-  
dere pastoribus, vt possint viuere ex sua persuasione. Multi  
adeo

adeo intempestive et contra analogiam fidei detorsere Paulinum dictum: *d) πᾶνδὲ ὁ ἐν ἐκ πίστεως, ἀμαρτία ἐστίν;* quo licentiam morum in verum scandalum animarum ipsis conceditarum defenderent. Paulus enim ibi de conscientia errante agit. Si vero pastores, qui ad rectae et ex iusta cognitione legis divinae ortae Conscientiae felicitatem in dies magis magisque contendere debent, hoc dicio ad sua facta defendenda abutuntur, cordatiorum nemo est, quin credat, ipsis hoc magis curae cordique esse, ut suis cupiditatibus satisficiant, quam ut gregem Christo collectum ad salubria pascua ducant. Quapropter, re saepius considerata, et sub animi, a partium studio liberi, trutinam vocata, statuendum mihi quidem videtur, incumbere omnino Pastori coetus Christiani officium accommodandi se ad Captum Vulgi.

### §. VII.

Quae tamen applicatio et adiunctio ad multitudinis ingenium quum et ipsa suis limitibus definiatur, nunc age primum periculum faciam tractandi regulas, quibus observatis recte V. D. M. se accommodet ad vires ingenii Parochianorum; quibus dein adiciam leges et conditiones, quae cogunt Pastorem animarum et dicere et facere multitudini ingrata. Quod tamen argumentum, ad quod nunc accedo excutiendum, quum latissimi et vastissimi ambitus sit, tantum

Quomodo hoc licet, qua ratione id vetitum sit?

*d) Rom. XIV. 23. vbi v. Interpret. inprimis Grotium in Apologet. Rivetiani Discuss. T. III. opp. p. 706. b. Wolffii Cur. et b. Zachariae. ff. V. ff. de iur. iur. §. 1.*

tum grauissima monebo, vnde leuiora a quoque ipso possint deduci. Quicumque sine peccato descendere vult ad captum populi, ante omnia sibi conscius sit, se non sequi propria commoda, non aucupari dona, non venari laudem et gloriolam infimarum muliercularum (quam nonnullorum prauam consuetudinem, qui turpi quadam popularitate manuum reprehendarum nominumque vocandorum salutandorumue discurrunt *crimen ambitus* verbis Romanis *voeem*) e) sed Deum conscientiamque testes habeat, omnis ad vulgi captum accommodationis finem vnicum ad Dei gloriam animarumque salutem redire. Quo verbum diuinum a Pastore gregis Christiani traditum expositumque facilius se insinuet in mentem animumque auditorum, licet omnino in re tam honesta adiungere se ad modulum ingenii multitudinis. Licet itaque non modo, sed et fas est, Oratorem Sacrum, vbi publice ad concionem conuocatam, verba facit, cuncta pro captu illorum, a quibus intelligi vult, instruere et exponere. f) Licet porro non modo sed fas est V. D. Ministrum in actionibus liberis lege diuina nec clare prohibitis nec diserte concessis, sequi iudicia multitudinis. Sed contra turpe esset flagitium, si quis hac popularitate eo progredi vellet, verbum diuinum ipsum accom-

e) Contra quos locus Paulinus. I. Tim. III. 3. vbi diu. Apostolus vetat esse Pastorem animarum turpi lucro deditum *μισχροκερδῆ; ἀφιλαργυρον*. contra monet esse debere coll. VI. 10. II. Tim. III. 6.

f) Hoc pertinet ad τὸ δρθοτομεῖν τὸν λόγον, quod Paulus a singulo V. D. M. exigit. 2. Tim. II. 15.

modaret cupiditatibus et peccatis, utque ingrata auribus opprimeret, tantum grata, iucunda, ad mollem securitatem voluptatum ducentia promeret. Hoc quidem secundum Paulum est *καπηλεύειν τὸν λόγον τῆς θεῆς*, ἑτεροδιδασκαλεῖν, μὴ προσέρχεσθαι ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τῆς κυρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς κατ' ἐνσέβειαν διδασκαλία g) et Iesaias acerbissime inuehitur in Oratores sacros, qui, metuentes ne displiceant peccatoribus, de gravissimis oraculis diuinis taceant, et adeo, quod imprimis summum dedecus est, participes fiant publicorum flagitiorum peccatorumque. h) Nefas itaque est, sacrum oratorem verbum diuinum placentiae et ἀρεσκείας studio mutare, opprimere et reticere, nefas porro societatem peccatorum inire. Abfit, ut ita se quisque applicet ad multitudinem.

### §. VIII.

Sententia mea de finibus, huic accommodationi ad captum vulgi, de qua differo, ne in vitiosam placentiam et ἀρεσκείαν degeneret, descriptis declarata, nunc nemo erit, qui mihi falsus rerum ideas subiciat meque cauilletur.

Adiungere se debet V. D. M. ad vires ingenii Parochianorum generatim et speciatim —

Accin-

g) 2. Cor. II. 17. I. Tim. VI. 1. τὸ καπηλεύειν ut *cauponiari* Ennii apud Ciceron. Offic. I. 12. induit notionem lucri, perfidi et falsi. Ita et hic sumendum vi oppositi — ἀλλ' ἐξ ἐπιθυμίας. Ceterum plura loca vett. Auctorr. de hoc verbo collegere *Wettstein* et *Altmann* mel. sacr.

h) Iesaias LVI. 10. seqq. et pluribus aliis locis. Inprimis notanda verba Prophetæ פְּלִבְיִם אֲלֵמִים לֹא יִכְלֶוּ לְנַתְּחַ

B



Accingo itaque me ad adfirmendam copiosiusque ornandam et defendendam meam propositionem, applicandum scilicet esse ingenium et vitam concionatoris sacri ad modulum ingenii populi. Quod vero quo clarius curatiusque faciam, distinguamus res et videamus, antequam per species rerum demonstrarem, pastori ecclesiae christianae descendendum esse ad vires parochianorum, cur et quomodo in genere hoc officium ipsi incumbat?

## §. IX.

Generalis haec  
Accommodatio  
sequitur ex scopo  
muneris ecclesia-  
stici et exemplo  
Pauli.

Si vero in finem muneris ecclesiastici curatius inquiramus, statim videbimus, eum non redire tantum ad utilitatem eorum, qui vere sapiant ingeniumque solida eruditione perpolitum habeant, sed potius scopum pastoris animarum hunc esse debere, ut omnes, et infimi et praeiudicatis rerum opinionibus infecti, imbecilli, rudes cognitionis et litterarum verbi divini salubri pascuo adducantur, doceantur, instruantur, augeantur, orientur ingenii pectorisque bonis, emendentur. *i)* Servator noster, eius legati apostoli non modo cultiorum hominum saluti inferuentes euangelium saluberrimum annunciauere sed et *πτωχοις*, pauperibus animo et corpore coelestem doctrinam exposuere. Ut enim Deus vult omnes ad salutem peruenire *k)* et ideo duci in viam salutis, euangelii annunciatione, ita ille, qui Dei man-

*i)* cf. S. V. *Millerum* *Mosh. Moral* T. IX. a pag. inde 386. qui dignus est, ut legatur et relegatur et S. V. *Iacobi* *Beyträge zur Pastoraltheologie* p. I. seqq.

*k)* I. *Tim.* II. 4. *παντας εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν,*

mandata hominibus insinuat, hoc imprimis spectare debet, ut pro captu ingenii doctrinam diuinam proponat, itaque agat, ut vel exemplo suo parochiani ad quoduis sanctum et laudabile excitentur. Attemperanda est itaque tota muneris ecclesiastici administratio rebus et vtilitatibus, moribus vitae et viribus ingenii eorum, quibus medelam adhibere vult ecclesiae minister. Fiat simplicibus simplex, grauibus grauis, timidis et attonitis cautus et prouidus, anxiiis lenis et mansuetus; ut breuissime dicam nunc, quod mox copiosius explicare animus est, retineat doctor ecclesiae puram verbi diuini sinceritatem, sed in verbis, imaginibus rerum, tropis, metaphoris non proponat, quid sibi optimum videatur, sed quod experientia singulari conditioni illius, cui opem ferre vult, saluberrimum foret, edoceat. Quemadmodum enim medicus non eadem remedia easdem medicinas omnibus aegrotis sine respectu vitae, conditionis, structurae corporis adhibet, sed in eodem morbo alia et in alio gradu sedentariae vitae ad sueto, alia et aliter fabro ferrario vel lignario praescribit: ita et, cui cura animarum concredita est, modum adhibere eumque, referre debet ad captum ingenii, educationem, vitae genus, morbum et peccatum aegroti animi. In qua re Pauli exemplum obuersari omnibus debet, qui se vineae Christi eique colendae et laborandae destinant. Ille quidem in singulis epistolis pro varietate hominum, locorum, vrbium, regionum, opinionum, peccatorum aliam viam ingressus est, ut quisque Paulinorum scriptorum studiosus ipso suo sensu animaduertet nec meum est, nunc per singula declarare.

Explicatio lo-  
ei I. Cor. IX.  
19-23.

Sed quod nunc recte a me potest exigi, eò re-  
dit, vt dictum biblicum idque primarium pro hac accommoda-  
tione oratoris sacri ad captum vulgi exitem eoque rite ex-  
posito sententiam meam firmam muniamque. Idque nunc  
facere animus est; omnium sacri codicis N. T. quae in  
hunc censum venire possint, dictorum se offert mihi inpri-  
mis hoc, quod in priori Pauli epistola ad Corinthios IX,  
v. 19 - 23. legimus. Quod vere vt recte intelligamus, tenen-  
dum est, totum hoc caput cum antecedente arte cohaerere.  
Ecclesia Corinthiaca turbis dissidiisque agitabatur quaestione  
ad casuisticam pertinente, ab alio aliter soluta. Quaereba-  
tur scilicet: *liceatne comedere ex hostiis idolis mactatis, nec  
ne?* Alias ad hanc quaestionem aliter respondentibus, cum  
essent, qui licere christiano homini, contra, qui vetitum  
esse, ex *ειδω λαθυτοίς* edere contenderent: Paulus hanc  
litem ita diremit, vt quidem ad eorum partes accederet, qui  
putarent licere inde comedere, sed tamen hoc praeceptum  
adiungeret, vt si hoc esu infirmi offenderentur, propter  
imbecillos potius ab his carnibus abstineretur. Amorem  
enim superare omnem cognitionem; si quis itaque glo-  
riola maioris cognitionis abreptus, tantum suam lucem se-  
qui, nec respicere velit ad illos, qui hanc claritatem su-  
stinere oculis nondum valeant, illam caritatem, in qua tamen  
amplectenda fouendaque tamquam pulcherrimae stirpis, fidei,  
pulcherrimo fructu cardo rei christianae versetur, deposuisse. <sup>1)</sup>

Huic

<sup>1)</sup> Praeclarum est hoc dictum VIII. 2. *ἡ γνώσις φυσιοῦ. ἡ*

Huic admonitioni Apostolus C. IX. suum exemplum adiungit, eoque declarat, se a multis rebus, sibi ex cognitione sua licitis, abstinuisse ne infirmis imbecillisque, quorum in quavis ecclesia maxima pars esse solet, offensionem obiiceret. — Tunc sequitur nostram dictum, quo expresse dicit, sese adiunxisse in re licita suam cognitionem vitamque ad captum infirmorum hominum. Ἐλεύθερος, inquit, γὰρ ὢν ἐν πάντων, cum nullius mancipium sim, nemoque mortalium mihi normam fidei morumque praescribere audeat, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδύλωσα, sponte mea, ubi per conscientiam liceret, adeo adiunxi me ad aliorum voluntates, ut fere dicere possim, me omnium seruum factum esse, ἵνα τὰς πλείονας κερδήσω, idque eo fine, non ut meis commodis, ita inserviam, quod absit! sed ut lucrer quam plurimos euangelio Iesu Christi omniaque impedimenta et scandala remoueam. Καὶ ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος ἵνα Ἰουδαίους κερδήσω. Ut Iudaeorum, externis caerimoniis adhaerentium, praefractus animos amore Christi et euangelii implerem, quantum licebat, ex ipsorum placitis retinere.

de ἀγάπη οἰοδομεῖ quod velim omnes saepe legant animisque inscribant aureis litteris, qui rerum nouarum studio abrepti in misera luce sua plus sapere sibi videntur ipso diuino verbo, et coetus christianos tartuosis explanationibus conturbant et ingenii excrementa obtrudere volunt pro lacte euangelii. Bardtii et id genus sexenti alii, o vos felices, si AMOR non folliculis agitatus flatus vestrae cognitionis tenuis et ieiunae vos duxisset! Numquam ne legistis quae magnus Heinsius dicere solebat: O quantum est, quod nescimus?

nui meque ita gessi, vt iudaeo homini non plane dissimilis fierem. *m*) Τοῖς ὑπο νομον, meum orationem vitamque, quantum per christianam simplicitatem licebat, accommodaui, ἵνα τῆς ὑπὸ νόμον κερδήσω, quo illi, remotis impedimentis, ad Christi vexillum confluerent. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἀνομος; Gentibus vero, ad quos lex Mosaica non venerat, monstraui leges caerimoniales et politicas Mosis; a Christianis hominibus non accepi, μὴ ὦν ἀνομος θεῷ, probe mihi conscius et gentibus conuersis hoc praedicans, quemque hominem sub obligatione legum diuinarum esse, ἀλλ' ἔννομος χριστῷ, Christumque morales leges Mosis et suo exemplo et oratione in monte habita firmasse, auxisse; ἵνα κερδήσω ἀνόμους, huiusque accommodationis finis fuit, vt et gentilium quam plurimos Christo colligam. Εγενόμην τοις ἀδενέσιw ὡς ἀδενής, ἵνα τῆς ἀσθενείας κερδήσω; similiter descendi ad captum infirmorum, conscientiaeque morbo adfectorum, quo paterentur a me duci ad Christi coelestem doctrinam. Τοῖς πᾶσι, pergit, γέγονα τὰ πάντα, omnimodo, quantum fieri licebat, me adplicui ad omnium cogitandi, sentiendi, agendi modum, ἵνα ποντῶς τινὰς σώσω, quo et nonnullos ex singula specie tantae varietatis Christo adducam — (σώσω, quod antea erat κερδήσω) Τῆτο δὲ ποιῶ δια το εὐαγγελιος non ob mundanas terrestresque vtilitates, sed propter coelestia in

*m*) de illa Pauli συγκαταβασει lege Patrum cogitata apud Suicerum T. II. p. 1072. et commendatur το πρὸς πάντας ἐνάρμοσον a. M. Antonino I. 9. p. 17. ibique Gatenus.

plurimorum mentes diffundenda euangelica bona, *ἵνα συ-  
κοινωνῶς αὐτῆς γένωμαι*, quae nonnullis difficilia verba vi-  
sa ita intelligo: *ut tamquam partiar cum euangelio praedam,*  
*dumque illi multos sacramentum dare cogo, ipse multos habeam*  
*filios spirituales.* — Nam ipse Paulus iam antea beneficia euan-  
gelii consecutus erat, qua propter haec verba non ita intel-  
ligi commode possunt, ut nunc demum cum his euangelio im-  
buendis et Paulus particeps fiat horum *coelestium* bonorum.

### §. XI.

Ex hoc quidem dicto haecenus explicato haec sponte  
fluunt: I. Non modo Paulo licuisse, sed nunc adhuc om-  
nibus doctoribus ecclesiae licere et fas esse, amore potius,  
quam cognitionis gloria et laude duci I. Cor. VIII. 2. Ergo  
II. Non nobis, nostrae laudi, floribus eloquentiae accom-  
modemus scopum muneris ecclesiastici, sed salutis anima-  
rum, et propagationi euangelii viuamus. I. Cor. IX. 23.  
III. In verbis et enunciationibus doctor quisque ecclesiae  
accommodet se captui parochianorum. — Nam et Paulus  
aliter erga gentes, aliter erga Iudaeos eandem doctrinam  
coelestem I. Christi enunciauit v. 21. 22. IV. Verbi diuini Mini-  
ster, qui Pauli exemplum recte sequi velit, abstineat multis, etsi  
non vetitis, rebus, quotiescunque sentiat in ecclesia esse, qui  
propter infirmitatem iis offendantur. Nam Paulus hostias ido-  
lis sacratas etsi sine peccato comedi posse putat, tamen istas  
carnes propter debiles non tangendas esse suadet. I. Cor. VIII.  
V. Qui grauissimo munere oratoris sacri recte et bene fungi  
vult, omnes vires eo intendat, ut ipse Iesu Christi doctri-  
nam

Paraphrasata ex  
hoc dicto.

nam non modo clare, facili ordine, ad gratam conuictionem proponat, sed vt maximum pondus suis dictis eo addat, quod hanc coelestem doctrinam ipse exsequatur: vitaeque ad Christi exemplum correctae et sanctae fructus vberes ferat, qua quidem re plures animae eripiuntur vinculis peccati, Christoque adducuntur, quam splendidissimis doctrinae copiosae tenerrimaeque eloquentiae donis. I. Cor. IX. v. 21. 27. *n*)

## §. XII.

Specialis accommodatio et quidem.

1) in orationibus sacris.

Consideratis in genere argumentis et rationibus, vnde efficitur, non posse quemquam in vinea domini cum successu laborare, nisi qui se adiungat ad modulum ingenii morumque eorum, quos instruere euangelii luce et emendare debet: nunc per species rerum hoc officium agite consideremus. Minister ecclesiae primum se accommodet ad captum vulgi in orationibus e suggestu sacro ad populum habendis. Auditores plerumque sunt homines sine iusta educatione; non itaque orator sectetur summorum artis dicendi iudicium, laudem, sed post adprobationem Dei nil magis curae cordique sit ei, quam vt intelligatur multitudini, suamque doctrinam et vitam adprobet populo ad Christum a se ducendo. De hac accommodatione orationis sacrae ad vires ingenii auditorum legi in Cicerone locum quem digno indico, qui hic transcribatur: o) *Haec enim,*  
*n*) cf. S. V. Iacobi l. c. §. 2. §. 8.  
 o) De Oratore II. 38. 159. ed. Verburg. qui liber nocturna diuturnaque manu versandus Studiofis Theologiae. Caeterum

*enim, inquit, nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.* Ex hoc vnico loco, vt de aliis multisque Demosthenis nunc taceam, multa fluunt in hac re consideranda.

Videamus, quae in his publicis orationibus ex mea sententia a parcho imprimis sint sectanda et considerata.

Oratio sacra, ad captum vulgi accommodata, habeat ante omnia argumentum seu thema, dignum euangelio, clarum, simplex, breue. Non sit petita summa orationis ex abstru-

sis thesauris eruditionis, non haereat in excutiendis minutissimis rebus, ad aeternam salutem nihil pertinentibus, e. g. mere historicis, exegeticis, criticis, non constet tropo s. metaphora, nisi omnibus nota et intellectu facili, non conflatum sit e pluribus propositionibus a se inuicem seiungendis, non sit in longum tractum, vt memoriam vel oneret vel superet. p)

Horatianum illud experientia omnium aetatum et hominum, imprimis multitudinis, comprobatur: *Quidquid, inquit, praecipies, esto breuis, vt cito dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles.* q)

Post electionem the-

et quidem  
a) ratione thematum.

b) ratione diffusionis et probationis.

terum h. l. commendandi *Sal. Deyling* Instit prud. past.

pars III. §. II. p. 313. seqq. *Spoerl* Pastoraltheologie

c. II. p. 36. seqq. I. I. *Plitt* Pastoraltheologie I. 1. 7.

p. 5. seqq. et S. V. *Iacobi* l. c. p. 41. seqq.

p) Admodum se mihi probauit *Disputatio S. V. Iacobi* l. c. p. 41. seq.

q) de *Arte poet.* 335. 36. vbi conf. *Hurdii* comment, ab *Eschenburgio* translatum.

C



thematis, nil minus negligatur diuisione et probatione illius. Diuifio potest et debet esse logicis regulis conueniens, et tamen facilis, ipsa natura duce facta, fit simplex. Nolim ultra duas tresue partes sint orationis sacrae; quoniam pauci sunt, qui quartam memoria teneant domum regressi, pluri mi satis felices putandi, dummodo summam propositionis tenuerint. Argumenta vero, quae ad probandam thesin eiusque partitionem spectant, debent esse ex sacra scriptura et communi vita petita, vt nil supponant, cuncta, quantum fieri potest, cum elementis doctrinae christianae coniungant, ex sensibus vel ad sensus reuocent. Dicta vero S. S. ad firmandam muniendamque causam adducta, euocentur ex lutherana versione, non ob superstitosam b. viri memoriam, sed quoniam omnibus, quas hactenus vidi, in summa par saltim, nisi praestantior habenda, et cunctis ingeniis a pueritia inde nota est. Qui enim dicta S. S. aliis verbis siue Michaelisianis siue Seilerianis in loco sacro excitant, aequè minus intelliguntur, ac qui orationem domini aliis verbis ad Deum orant; vt nuper cuidam in templo aliquo accidisse mihi narratum est, qui, finito sermone, nouo modo Iesu Christi orationem exorsus et finiens a paucis intellectus, pluribus mirationem fecerit, quod sine dominica oratione locum sacrum deseruerit. Qui enim in suis Musaeis mundum mutare volunt, et multa reprehendunt, multa corrigunt, velim a superioribus tantum vnicum annum teneantur ad parochi munia obeunda; multa retinerent, laudarent, commendarent ipsis nunc nauseam mouentia. Curam concionatoris sacri nec negligendam esse

in

c) ratione cirationis dict. Script. S.

d) electione cantilenarum.

in electione sacrarum cantilenarum, ante et post orationem cani solitarum, per se patet. Accommodabit se tunc ad captum vulgi, si breuitati, consuetudini, sensui et palatui ipsius consulat. Mihi hactenus cantilenaе saeculo XVI. et XVII. factae ex parte praeferendae videntur foetibus nostri ingenii, sono, animo, vi interna, et ipsa vetustate. — Qui enim in re religiosa noua volunt, obliuiscuntur nil minus mutationem admittere religione. Forte inde factum, quod apud antiquos populos priscae linguae maximus locus esset in caeremoniis et sacrificiis. Saeculum XVI. nostris ecclesiis epocham fecit; genius, historia, sensus istius aetatis non ex nostris templis proscribendus, potius notae textui istarum cantilenarum subiiciendae. r) Adiungamus potius istis Klopstockiana et Gellertiana carmina, si commodum videtur, non falcem nostram inferamus ad amputandum opus alterius. s) Haec fere sunt, quae spectanda putem oratori sacro, qui ad ingenium parochianorum se applicare recte vult, ratione orationum sacrarum.

C 2

§. XIII.

- r) Magna cum voluptate legi in recentissima editione tabularum in usum seminarii Hannouerani, *vocabularium praeclararum et obscurarum vocum* in lutherana versione bibliorum, in libro cantilenarum in electoratu Brunov-Luneb. cani solitarum. Vide et *Grundsätze der Anweisung künftiger Lehrmeister in deutschen Schulen im Hannoverischen Schulmeisterseminarium* p. 108. ed. nouiss.
- s) Grates habeo Wielandio, quod in libello menstruo *Deutsch. Merkur* huius anni declarauit: nec sibi aequum et permissum videri, mutare, emendare carmina defunctorum.

2, in catechisationibus publicis.

Nec minor cura adhibenda in iuuentute publice in templo erudienda, quae institutio mutuo colloquio constans, graeco vocabulo, in latinam ecclesiasticam linguam accepto, barbariuscule *Catechisatio* vocatur. Vt in his colloquiis recte et sedulo, non modo in templis, sed et in ipsis scholis, institutis et instituendis, maxima et saluberrima pars ministrorum ecclesiae absoluitur: 1) ita inprimis hoc spectandum est, ut cuncta ad captum vulgi et liberorum accommodentur, vitentur aliena, nimis difficilia; dicta iuste explicentur; magistri scholarum exponant magis verba, res vero doctor ecclesiae. Ad hanc accommodationem in specie mihi videtur pertinere, ut decalogus retineatur tradendisque ethicis praeceptis subternatur. Quum enim ipse Seruator noster moralia praecepta Mosis repeteret et sua explicatione augetet, potest et V. D. Minister salua conscientia domini sui exemplum sequi: quod nisi

1) Non satis commendari potest exteris maxime laudabile institutum, quod Hannovera in veram provinciarum vtilitatem fundavit et in diem magis ornat et auget V. l. c. *Grundsätze der Anweisung künstlicher Lehrmeister in deutschen Schulen im Hannöverschen Schulmeisterseminarium* edit. recent. Hannou. 1782. 8. p. 212. ex quo libro ministri adeo ecclesiae multa discere possunt. Ceterum hic legendi sunt *Deyling* l. c. p. 187. 304. 5. 9. 10. *Spörl*. l. c. p. 83. seqq. *Plitt* l. c. p. 53. seq. inprimis S. V. *Jacobi*, decus harum terrarum fulgentissimum, l. c. p. 19. seqq. *Oertel* de Decalogo etiam ad christianos pertinente. Vid. S. V. *Seileri* Beylage zu den gemeinn. Betrachtungen 1781. II. 2. p. 189.

facit, et, vt nonnulli perperam fecerunt, de decalago publice male loquitur, plus scandali infirmis praebet, quam utilitatis robustioribus ingeniis. Equidem praefero catechismum Lutheri omnibus recentiorum compendiis propter ipsam breuitatem et simplicitatem. Discedo enim in partes S. V. Iacobi, qui l. c. putat non locum esse in erudienda iuuentute christiana definitionibus artificiosis, sed cuncta potius exemplo Christi et Apostolorum, ad sensus reuocanda.

#### §. XIV.

Descendere porro debet orator facer ad vires ingenii auditorum in his grauissimis grauissimi muneris partibus adeundi scilicet lectos aegrotorum et praebendi solatium poenitentibus. <sup>u)</sup> Hic nemo finem propositum animorum, post poenitentiam fidei effectibus recreandorum, obtinebit, nisi qui statum et conditionem specialissimam singuli indiuidui probe cognoscat et ad hanc rationem sua verba accommodet. Primaria dicta quaedam, versus ex cantilenis notis citati, amica tractatio, mores lenes, mansueti, politi praesentius auxilium praebent subtilissima eruditione. Qui superbum animum statim humiliat, humilem illico beatum praedicat, voluptatibus deditum Satanae tradit, mortem timentibus terrores mortis et inferni admouet, tristes tristiores reddit, contrariam moribus seruatoris rationem inuit, et saepe fallitur. Generalia praecepta vide in auctoribus infra

3. Etiam quum aegrotorum lectos adit et poenitentibus solatium praebet.

C 3

<sup>u)</sup> cf. *Deyling* l. c. p. 478. 410. 415. 440. 445. 452.  
*Spoerl* l. c. p. 128. seqq. 232 seqq. *Plitt* l. c. p. 63. seqq.  
p. 283. seqq. *S. V. Iacobi* p. 241. seqq. p. 145. seqq.

excitatis: speciales regulae fluunt ex vita ante acta, ex animi perturbatione aegroti siue poenitentis, ex educatione et loco illius. Hic tantum hoc velim commemorare, ministrum ecclesiae debere imprimis respicere hominis naturam, rationem, indolem, cum quo agit: hoc obseruato, via facilius erit praeceptis christianae religionis.

## §. XV.

4. Eriam in habitu externo, in dictis, societatibus, vestibus.

Oranis fructus, qui ab administratione iusta muneris ecclesiastici expectari potest, pendet a docendo et viuendo: in quo utroque singularis cura esse debet ministri ecclesiae. Quomodo ille in docendo ad captum vulgi accommodare se debeat, in genere patebit ex ante dictis: (nam specialia praecepta vsui et experientiae singuli doctoris relinquenda) quanta vero sit diligentia adhibenda in ipsa vita, ne improbetur multitudini, nunc paucis videamus. x) Totus habitus externus debet, me iudice, componi non ad hoc vel illud exemplum, non ad praecepta in hoc vel illo libro proposita, non ad mores in hoc vel illa vrbe seu prouincia receptos: sed ad consuetudinem, sensum, et, vt ita dicam, palatum eorum Parochianorum, quibus quisque praepositus est. (nempe in re licita §. VII.) Quum munus doctoris grauissimum sit, omnia vitanda sunt, quae personam oratoris ecclesiastici leuem vel ridiculam faciant, ne eius sermones

pon-

x) Vid. *Spoerl* l. c. p. I. seqq. *S. V. Jacobi* p. 351. seqq. Antiquiores nostrae ecclesiae scriptores vide apud *Deylingium* l. c. in Prooemio V. et *S. I. Baumgarten Casuisticae Pastoraltheologie* p. 863. seqq.

pondere debito deslituantur, simul ac eius ieiuna, puerilia, risum mouentia dicta vel facta in memoriam sese insinuent. Dicta eius vel extra templum sint digna ministro euangelii, seria, graua, non tamen tristia, iocosa sed intra modum, libera ab omni obscenitate et ambiguitate. Abstineat ira, maledictionibus, minis, non baculo nec infantem in scholis coerceat, omnem ostentationem et iactantiam vitet; non se det avaritiae, non ἀλλοτριεπισκοπία; simplicitati in dictis et factis studeat, y) vt sit exemplum christianae simplicitatis et sanctimoniae omnibus, et senioribus et iunioribus. Non studia dimittat, vt semper ab omnibus magni fiat, nec auctoritatem sermonibus insulsis, confusis, iustis argumentis deslitutis amittat; popularis, ciuilis, amicus erga omnes sit, adeat domos, hortos, agros ipsorum, det bona consilia et in terrestribus, quo vincula intet pastorem et oues arctius constringantur verbumque diuinum promptius accipiatur. Nec seiungat se a parochianorum epulis, nuptiisque, more seruatoris, qui aderat et Phariseorum conuiujs, sed ita vt exemplum pietatis et virtutis proponeret: adsit quidem, sed non particeps fiat insulforum morum, quos tamen nolim publice reprehendat, sed priuatim solemnitate peracta. Quod attinet ad adiaphora illa, saltationes publicas, comoedias, ludos vel chartaceos vel aleatorios aliosque, velim quisque conscientiam suam in consilium adhibeat,

y) Felix, de quocumque hoc dici potest, quod in aliquo Poeta Gallico legere me memini:

— — — Simple avec art,

Sublime sans orgueil, agréable sans farâ.

hibeat, quae ipsa imprimis in hac re consulere debet infirmioribus: quum vix aliquis coetus adeo purgatus sit praedictis, vt non vnus et alter reprehendat oratorem sacrum publicis saltationibus, comoediis aliisque per se non diserte vetitis rebus, praesentem, exigit salus vel vnus animi, vt talibus abstineat, et quidem eo facilius, quo iucundius commercium esse debet singulo pastori cum Deo precibus et suspiriis ad ipsum fuis, cum S. Scriptura, cum studiis, suis domesticis et ipsis parochianis. z) Et si quis sibi persuadeat, licere interesse eiusmodi publicis priuatisque voluptatibus, tamen hoc ita fiat, vt ne quid grauitati et auctoritati viri, ad erudiendum emendandumque doctrina coelesti et vita digna vulgum a Deo magistratibusque constituti, decedat. Ex his dictis satis patet, ministerium ecclesiae in his rebus imprimis se adiungere debere ad vires ingenii parochianorum. Meis dictis pondus addat Pauli exemplum, I. Cor. VIII. IX. (cf. §. X. huius Disp.) et grauissima oracula diuina omnibus, imprimis ministris ecclesiae consideranda et inculcanda Phil. IV. 8. 9. Tit. II. 8.

## §. XVI.

5, Adeo in sua domo et familia.

Quae modo de accommodatione parochi ad multitudinis captum respectu totius habitus externi proposui, eadem vel praecipue in ipsa domo et familia consideranda sunt et exsequenda. Et hic conspicuae sint virtutes pastoris animarum,

z) Vid. praeter citatos autores imprimis *Walchii* patris Bibliothec. theol. sel. T. II. p. 1141. seqq. *Moshemio-Millerian*. Theol. Moralem T. VI. p. 375. 421.

rum, diligentia, labor, patientia, modestia, lenitas, mansuetudo, castitas, pietas, charitas, misericordia et aliae: domestici eius capiantur pietate sua, adducantur ipsi Christo, et ita probent, mores ipsius, ut et aliis locupletes testes sint, quam herus Deo, sibi et saluti animarum viuat et inuigilet. Eius vxor sit particeps virtutum christianarum, dulce lenimen laborum peractorum, praesit curis oeconomicis, manus tendat auxiliatrices pauperibus, miseris, liberos habeat et formet obedientes, parentum virtutes referentes. Non iurgia audiantur in sede ministri ecclesiae, curae anxiae et pallentes de diuitiis tibi non sedeant — verbo, ibi, in domo pastoris exercentur officia, quae e loco sacro commendantur multitudini. Nisi itaque vitam suam Christi exemplo conuenientem reddat nec se accomodet ita parochus populi ingenio, hinc parum utilitatis cupiet ecclesia ex eius sermonibus. Quodsi vero orationibus eius grauib, facilib, breuib accedat commendatio oratoris ex ipsius domestica vita, (quae quidem per ancillas et famulos, subito toti parochiae narratur) tunc demum sperandi fructus sani, multiplices, centumplices ecclesiae.

§. XVII.

In re grauissima quum versetur mea Disputatio, quae vastissimi ambitus augeri et ornari vario modo potest, cauendum est imprimis, ne nimis diffundatur lectoribusque displiceat, quod potest optime vitari, si breuitati studeo. Nil itaque de hac accommodatione porro addam, quum meam thesauri eiusque veritatem per rerum species quasdam

fat



Causae huius  
accommodatio-  
nis,

satis explicasse mihi videor. Restat, ut causas adiungam et motiva quaedam huius accommodationis ad captum hominum respectu doctrinae et vitae. In quarum quidem censum ante omnia venit lex diuina, quae in pluribus locis pastoribus prudentiam commendat, quae sine tali accommodatione ne cogitari quidem potest. a) Deus enim, qui munus ecclesiasticum fundauit et scopum vult, salutem, aedificationemque animorum, debet etiam velle media, prudentiam, accommodationem, sine qua nullus ad hominum ingenia aditus patet. Debet porro adducere Parochos, ut suam doctrinam vitamque applicent ad modulum ingenii pectorisque sensum eorum, quos instruere et corrigere volunt, exemplum ipsius Dei, qui summam in reuelatione supernaturali *συγκαταβασιν* monstrauit, dum verba, tropos, metaphoras, typos ad humanum captum et sensum adiungeret, b) quem modum reuelandi sua mysteria hominibus ab ipso Deo adhibitum eo magis sequi debet ecclesiae minister, quo minus alias suis auditoribus intelligi et probari potest. Commouere etiam debet quemque parochum ad hanc popularitatem ipsius Seruatoris nostri Iesu Christi exemplum, qui in parabolis adeo se accommodauit captui coaequalium, ut eius orationibus nil cogitari possit facilius, clarius, breuius, quique ita vixit, ut non possit viui purius,

a) Matth. X. 16. Eph. V. 17. 1. Tim. IV. 12. 2. Tim. III. 16.

*Déyling* in Prooemio.

b) Commendanda h. l. opera b. Zachariae praematura morte ecclesiae erepti. Theolog. Erklärung von der Herablassung Gottes zu den Menschen 1760. 1762. 8.

sanctius et simplicius. c) Ipse vult, vt omnino omnes christiani homines, imprimis pastores, sequantur eius modum docendi et viuendi. Haec domini vestigia arctissime pressit Paulus, qui in epistola ad Corinthios, vt ante expositum est, ita se adiunxit ad infirmorum voluntates, vt cum velut exemplar intueri et imitari debeant parochi. Cogitandum porro, si quis forte liberio rem vitae rationem sibi permissam credat, omnem fructum muneris pendere vnice a persuasione vulgi, pastorem viuere ita, vt vitae ratio non repugnet doctrinae, Qui itaque domini vineam potius colere quam cadere vult, ille suas cupiditates coerceat, frenu libidinibus adhibeat, ne aliis viam salutis monstrans ipse ad auia dextrorsum sinistrorsumue declinet. d) Grauius enim vix cogitari potest peccatum, quam si vir, qui se a teneris inde ad sublime officium hominum instruendorum emendandorumque praeparauit, et, moderante res ita prouidentia diuina, a summis magistratibus hanc prouinciam suscepit, vt religionis summa bona annunciet iis, qui eius officiis se dociles et obedientes praestant, si, inquam, talis vir ipse religionis praecepta violans infirmis scandalum dare non erubescit. e)

## D 2

## §. XVIII.

c) De parabolis S. S. omnino, et imprimis Seruatoris legatur ecclesiae decus S. *Glassius* philologia sacra T. I. Lib. 2. Rhetor. sacr. p. 1304. et 1310. ed. *Dathe*.

d) Graue dictum est domini nostri Iesu Christi Luc. XII. v. 47. 48.

e) Matth. XVIII. 7. ad Hebr. X. 26 - 31. locus horrendus iis, qui contra conscientiam claram et distinctam peccant.

Quonam auxi-  
lio expedita fiat  
ministro ecclesiae  
haec accommo-  
datio.

Ex his, quae haecenus disputari, patet, ministro ecclesiae post studium sacrae scripturae nullam scientiam esse magis necessariam, quam probe nosse mores hominum in singulis vitae conditionibus. Quod enim iam regibus magistratibusque populorum saepe commendatum est ab harum rerum peritis, scilicet ut operam omnem adhibeant, ut ingenia et mores subditorum bene cognitos perspectosque habeant, id multo magis oratoribus sacris acclamandum est, qui, destituti fortioribus remediis, non habent alia ad mentem pectusque auditorum suaviter adficiendum, doctrinaque et virtute imbuendum, nisi quae ex intima cognitione ingeniorum singulorum indeque vnicè pendente persuadendi arte fluunt, subsidia. Qui vero parochianos suos ratione modi cogitandi et sentiendi perspectos habet pastor, f) ille, si vir bonus, honestus et prudens est, ut esse debet, doctrinam vitamque suam facile ita accommodabit, ut multitudini in genere intelligatur probeturque, et in specialissimis muneris grauiissimi partibus cuncta ad gloriam Dei hominumque *omodoque* referat. Qui vero adeo vel elati vel stulti animi est, ut sibi persuadeat, omnes pendere a se, cunctos conuertere ora et studia ad se, et sequi suum cogitandi et sentiendi modum, ille quotidie impinget in grauissimos erro-

f) Praeter citatos scriptt. multa vtilia et praeclara, si caute seiungantur ab aliis, quae mihi non probantur, continet liber clarissimus *Ueber die Nutzbarkeit des Predigtamtes von Spalding* p. 231. seqq. et *Herderi* XV. *Provincialblätter an Prediger*.

errores, verbum non recte diuidet, dabit scandalum infirmis, nec ipse erit, vt esse debet, typus et exemplar saluberrimae doctrinae. Quae cum ita sint, dolenda et ploranda videtur conditio plurimorum hominum, qui se ministerio ecclesiae deobuent, qui et in patria vrbe s. pago et dein in scholis et academiis anxie conquirunt schedulas, sed adeo rudes et expertes sunt hominum ingenia pertinentium, vt saepe omnium, qui academias frequentarunt, omnium saepe illitteratorum mores rusticitatis plenissimos in Christi vineam adducant: quum tamen theologiae studiosi minus carere possint cognitione iusta morum ingeniorumque humanorum, quam aliarum disciplinarum cultores. Inde venit, totam classem pastorum et candidatorum contemptui et risui esse multorum qui versati sunt in re publica, in aulis principum et commercia hominum in splendidioribus vrbibus videre et frequentauere; inde fluit, quod tristis experientia saepe docet, multorum pastorum filios male educari, matrimonia esse infausta, et, in verum ecclesiae detrimentum, res domesticas esse calamitosas, iurgiis, dissidiis, paupertati obnoxias. g) Verbi diuini ministri neutiquam debent esse molles, delicatuli, semiuiri; sine mascula grauitate nemini cordatiorum probabuntur: sed deponere debent omnem impolitam rusticitatem, vt probentur et principibus viris, sint decus ecclesiae non modo ratione doctrinae et sanctimoniae, sed et respectu habito ad morum elegantiam et venustatem.

D 3

Tri-

g) lectu dignissima sunt quae scripsit S. V. Iacobi l. c.

p. 388. seqq.

Tristitia enim, et morositas et rusticitas debet abesse a ministro ecclesiae quam longissime.

§. XIX.

Consilia ad  
promouendam  
cognitionem mo-  
rum et ingenio-  
rum humanorum.

Scrutinium in-  
geniorum.

Quae cognitio morum ingeniorumque hominum et quidem omnium classium, quum adeo utilis et necessaria sit pastori animarum, vt illa destitutus suam doctrinam vitamque non bene accommodare captui vulgi, nec ei intelligi probarique possit: in fine huius Commentationis consilia adiiciam, quorum vsu hoc effici posse mihi videtur, vt oratores sacri in hac parte scientiae humanae ruditatem deponant magisque poliantur. Ante omnia velim rectores et moderatores iuuentutis grauissimam muneris scholastici partem, nempe scrutinium ingeniorum, non negligent, omnesque ingenii venustate morumque vrbantate destitutos prohibeant sacrario religionis, admittant potius ad alias disciplinas, quam ad sanctissimam, cuius vtilitas in omnes fluit. Poparum enim et vincimariorum nunc nullus est vsus, sed hominum pietatem et doctrinam cum elegantia morum et vera humanitate coniungentium. Quodsi vera capacitas et indoles recte examinaretur, non tot homines ad colendam laborandamque terram nati culturam animorum susciperent. Ita restricto numero studiosorum theologiae excitataque per superiores diligentia rectorum, tantum ad academias follertes et probabiles moribus iuuenes venirent: hi vero in ipsis academiis cum utili dulce h) recte miscentes, vnam pluresque singulo die horas impenderent

Morum for-  
mandorum cura  
in academiis.

h) Horat. Art. p. v. 343.

adeundis domibus morum sanctorum politiorumque laude in primis florentibus, et erudienda iuuentute doctrinam animo infixam ad rerum vsum reuocarent, peractoque triennio vel quatriennio academico id imprimis spectarent, vt in familiam splendidam veniant, ibique, quid in aula, in sede primaria prouinciae, apud alios homines agatur, discant. Antequam enim munus sacrum obeas, perutile est nosse rerum cursum. Cum tamen mora plurium annorum in vnica splendida domo nondum sufficiat ad imbuendum animum cognitione multiplici variarum rerum in mundo obuiarum, velim vt in terris Wurtembergicis aliisque sapientissime ex parte prouisum est, reges alique principes et vrbes stipendiis alunt suos ciues theologiae studentes, vt ante ingressum in munus sacrum iter suscipere possint in varias terras: qua quidem peregrinatione nil melius variorum hominum, principum, mercatorum, militum, eruditorum, opificum varias indoles et rationes oculis obicit mentique infigit; eiusmodi itinere in peregrinas terras suscepto variarum religionum varias caerimonias variosque eorum, qui se ad hanc vel illam contulerunt, mores, recte secusque facta cognoscere, omnem corpore tristitiam et morositatem, cuius saepe in corpore quaerenda, pellere, animum recreare, mores polire, amicitias necere, multarum rerum, de quibus compendia silent, experientiam addiscere et varios homines, quod imprimis ad hanc accommodationem, de qua dissero, pertinet, varie tractandi artem ipso vfu sibi conciliare poterit futurus ecclesiae doctor: qui deinde cum tantis thesauris domum redux placebit viris, principibus et eruditis, nec displi-

Formare iuue-  
nes illustri loco  
natos.

Peregrinatio-  
nes.

displicebit pauperibus et infimae fortis hominibus. Ille enim, qui multorum hominum et mores, et vrbes vidit, didicit Pauli artem, ad cunctorum ingenia descendendi. Nam quod nonnulli contra eiusmodi peregrinationes obiiciunt, morum corruptelas inde saepe referri domum, id quidem ab ita educatis et in scholis academiisque praeparatis viris, quos solum admoueri velim muneribus ecclesiasticis, vix timendum est. Itinere in peregrinas regiones suscepto dici vix potest, quantum homo, cuncta ad Deum referens, ad summam providentiae laudem in tantis operibus ipsius, montibus, fluminibus, maribus, tanta animalium varietate, considerandis excitetur.

## §. XX.

Studium historiae et lectio itinerariorum.

Quae vero pia desideria quum vix pro praesenti rerum statu expectandum sit fore vt, in quorum manibus positum est, respiciant et rata esse iubeant, interim amplectendum, quod restat. Nempe studium historiae et lectio itinerariorum potest quodammodo refarcire damnum intermissae peregrinationis; quique probe versatus est in his iucundissimis humanae cognitionis particulis pastor, inde poterit multa depromere ad rerum usum, vt in variis casibus caute agat, suaque verba et facta pro varietate auditorum testiumque ita instruat, vt post gloriam Dei officium suum in multitudinis incrementum absoluatur. Vt enim hoc nunc vix moneam, ista lectione locum de providentia diuina iucunde illustrari: nemo erit, qui insitias eat, parochum, qui vltra scholae et academiae vmbra sapiat  
alio-

aliorumque populorum mores et vrbes nouerit, fore accommodatiorem ad varia ingenia suorum tractanda, iucundior in societatibus, vtiliorem scholis, aptioremque ad formanda suorum liberorum a teneris inde ingenia. Multa praeterea tali lectione vtilia in parochum redundant: scilicet constat apud omnes, multos pastores otio suo nimis indulgentes in pigritiam et ignariam prolabi, vnde tentatio sequitur, quae non raro pudorem pellit et in horrenda dedecora hominem Deo hominumque saluti munere suo destinatum non raro protrudit. Ingenium vero bonis studiis nutritum, horulas subseciuas vadeo bene consumet diemque perditum putabit, sine bona actione, sine incremento theologiae et litterarum peractum. Cognitio morum ingeniorumque humanorum comparari porro potest a verbi diuini ministro, si maturo quaerat consuetudinem cum eiusmodi hominibus, qui se prudentiores sunt, resque in mundo obuias non tantum ex libris, sed ex ipso vsu, optimo rerum magistro, abstulere. Ut enim in genere post sensus homo plurima bona malaue ex vsu et consuetudine hominum addiscit: ita imprimis vera prudentia pastoralis, cuius pars est ista ad vulgi captum accommodatio, de qua nunc disputo, sine omni dubio ex commercio cum exercitatis in mundo viris peti potest et adquiri.

Consuetudo  
cum viris rerum-  
expertis.

§. XXI.  
Quum vero tum demum bene se aliquis adiungere possit ad voluntates aliorum, vbi cogitandi sentiendique modum rationemque eorum probe perspexerit. Sequitur inde nec pastorem animorum facile suam doctrinam vitamque

Aeundae do-  
mus parochiano-  
rum.

E. e. non. IIIV. q. .biv. adpro-



adprobaturum esse multitudini, nisi singulorum individuorum inter parochianos, singulare ingenium, variam indolem, diuersam rationem inspexerit. Ad hoc autem scrutinium ingeniorum, ad hanc specialissimam experientiam generalia tantum praebent praesidia felix a maturo datum ingenium, vsusque in mundo obuias ex peregrinatione, lectione, consuetudineque ablatas: specialia vero subsidia vnice porrigit ipsa inspectio oculorum, ipsa cum parochianis habita consuetudo, ipsa aditio per domos suarum ouium. Quapropter auctor suaorque sum singulis, qui amorem sibi conciliare volunt, sine quo vix fructus facere in ecclesia possumus, qui que suam cognitionem cum ideis rerum notionibusque vulgi coalescere optant, vt ne negligant quotannis semel bisue frequentare domos membrorum ecclesiae. Eo enim optime status et conditio discitur rerum et ad animum et ad corpus pertinentium, et colloquiis ita cum hominibus institutis, consiliis datis, admonitionibus, precibus factis plus utilitatis conferre potest pastor in singulos, quam in orationibus optimis fere circa generalia versantibus. Hac frequentatione etiam hoc adsequitur pastor, vt sibi animorum aditus patefiat, quo melius tunc euangelium et ex loco sacro annunciatum se possit insinuare. In hoc tamen more laudabili absit auaritia et quisque alius turpis finis. i) Praeterea ad consequendam experientiam de statu domestico singulorum potest etiam hoc inferuire, vt scholam saepe adeat minister ecclesiae, intersit magistri scholae quaestionibus, ipse colloquia instituat, non modo, vt res scholastica sua auctoritate augeatur, sed imprimis ex capacitate, dili-

i) Vid. §. VII. not. e.

diligentia s. ignaria puerorum puellarumque iudicium fieri possit de parentum moribus domesticis. *k)*

§. XXII.

Ad promouendam cognitionem multitudinis addiscendamque artem se accommodandi ad captum eius, utilis etiam esse potest lectio et studium antiquorum autorum, imprimis Demosthenis et Ciceronis, eloquentiae principum. Hi enim cum populo rem habebant, artem tractandi hanc mutabilitatem longo usu possidebant et in persuadendo conuincendoque populo certi duces fuere omnibus, qui sua vestigia pressi sequuti sunt. Meum nunc non est utilitatem lectionis antiquorum scriptorum ad classicam auctoritatem eniformam in omnem theologiam redundantem, demonstrare, quod iam ante me factum est a multis: hoc tantum velim declarare, ad hanc ipsam accommodationem mirum quantum! familiaritatem maturo cum bonis autoribus contractum conferre. Viuimus hoc florentissimo prouentu scriptorum ad litteras antiquas pertinentium: res calet in scholis et vniuersitatibus litterariis. Optandum vt quisque fruatur bonis oblati, lectionemque post sacram scripturam diurna nocturnaque manu versandam, continent oratores sacri, qui quidem si rebus domi augustissimis prohibentur comparandis suis sumtibus libris, *l)* facile inuenient patronos, qui ipsis ex instructa bibliotheca ad alendum ingenium tempusque terendum utiliter mittant et communi- cent libros.

E 2

§. XXIII.

*k)* cf. S. V. *Iacobi* l. c. §. 10. p. 19. Hannöv. Methodenbuch p. 126. ed. rec.

*l)* *Loctrimas* fere mouent, quae scripsit S. V. *Iacobi* l. c. p. 402. seqq.

Studium Demosthenis et Ciceronis.

## §. XXIII.

Indefessum studium imprimis S. S. et preces ad Deum suscip.

Sed praesentissimum in feliciter administrando grauissimo munere, et in accommodanda sua doctrina et vita ad captum parochianorum auxilium praebet assidua lectio sacrae scripturae cum deuotis et ardentibus precibus ad Deum directis coniuncta. In hoc enim libro, fonte omnis verae sapientiae, continetur etiam vera prudentia pastoralis, exemplumque quod summum ad homines hac reuelatione descendens numen proposuit, incitare et debet et potest parochos omnes, vt hoc exemplum sequantur seque ipsi applicent ad vires illorum, quibus doctrina et vita prodesse volunt. Preces vero die orto et cadente, ante et post administratam muneris partem, propter parochianorum propriamque salutem ad Deum pie missae, effectus Spiritus Sancti gratiosos eosque supernaturales in pectore ministri ecclesiae augebunt eumque ita ducunt, vt aedificet animos sibi concreditos et ex pascuo verbi diuini feliciter ducat ad gloriosa pabula futurae in coelo hereditatis. *m)*

## §. XXIV.

Conclusio.

Haec fere sunt, quae nunc de hac particula pastoralis prudentiae differere animus fuit. Quod statim in initio professus sum, id in fine iterum profiteor, animi erga lubecenses Benefactores patremque charissimum grati causa hanc telam a me exorsam pertexamque esse; quodque mihi doctrinae et eloquentiae defuerit, id iterum peto, vt non culpandi scopi excusationem habeat. Caeterum rogo Deum, vt cuncta bona retribuat Fautoribus lubecensium patrique dilectissimo, meque suo Spiritu ita regat, vt et a me in ecclesia olim largi fructus ferantur. Supremo vero Numini sit laus et gloria in saecula saeculorum! Scrib. ex Georgia Augusta d. XIX. Octob. c. 1710 CC LXXXII.

*m)* I. Petr. I. 3-5.


---


### Corrigenda.

Quum propter abitum paratum non satis a me diligentiae ad corrigendas prelo madidas plagulas adhiberi posset, factum est, ut multi errores irrepererint, quorum grauissimos hic notabo, sperans fore, ut reliquos, praesertim in accentibus Graecis, aequus Lector mihi vasa colligenti condonet. P. 2. l. 11. inhiuit l. *adhibuit* p. 3. l. 9. Goettingue l. *Goettingae* p. 6. l. 18. praemittunt l. *praemittant*. p. 8. l. 7. reprehendarum l. *prehendarum* l. 22. vellet, verbum l. *vellet, ut verbum*. p. 9. l. 18. falsus l. *falsas*. p. 12. l. 3. exitem l. *excitem*. l. 12. hosticis l. *hostiis* l. 13. Alias l. *Aliis* l. 15. *ειδω λοδυτοις* l. *ειδω λοδυτοις*. p. 13. not. l. 4. tartuosis l. *tortuosis* l. 6. Bardtii l. *Bahrdtii* ib. sexenti l. *sexcenti*. p. 14. l. 8. sis, a l. *sis a*. ib. accepi. l. *accipi*. ib. l. 21. *πρωτως* l. *παντως* l. 23. *ευαγγελιος* l. *ευαγγελιον*. p. 15. in margine Parismata l. *Porismata*. p. 16. l. 4. correctae l. *correctae*. l. 23. digno l. *dignum*, et ead. pag. in margine Specalis l. *Specialis*. p. 25. l. 4. probent, mores l. *probent mores* l. 16. cupiet l. *capiet*. p. 27. l. 5. ut cum l. *ut eum*. l. 9 doctrinae, l. *doctrinae*. l. 11. frenu l. *frenum*. p. 29. l. 7. sunt hominum l. *sunt rerum ad hominum*. p. 30. l. 16. victimariorum l. *victimariorum*. p. 31. l. 3. infixam l. *infixam* l. 12. alunt l. *alant*. l. 16. opificium l. *opificum*. l. 22. quaerenda l. *quaerenda caussa*. l. 28. viris, principibus l. *viris principibus*. p. 33. l. 6. ignariam l. *ignauiam*. l. 25. perspexerit. Sequitur l. *perspexerit: seq.* p. 34. l. 6. obuias l. *obuius*. p. 35. l. 1. ignaria l. *ignauia*. l. 15. contractum l. *contractam*. l. 20. aug. l. *angustissimis*. ib. in nota Locrimas l. *Lacrimas* p. 36. l. 15. ducunt l. *ducent*.

---







## §. XXIII.

um sta-  
primis  
reces  
fusae.

Sed praesentissimum in feliciter administrando gra-  
uissimo munere, et in accommodanda sua doctrina et vita  
ad captum parochianorum auxilium praebet assidua lectio  
sacrae scripturae cum deuotis et ardentibus precibus ad Deum  
directis coniuncta. In hoc enim libro, fonte omnis verae  
sapientiae, continetur etiam vera prudentia pastoralis, exem-  
plumque quod summum ad homines hac reuelatione descen-  
dens numen proposuit, incitare et debet et potest parochos  
omnes, vt hoc exemplum sequantur seque ipsi applicent  
ad vires illorum, quibus doctrina et vita prodesse volunt.  
Preces vero die orto et cadente, ante et post administratam  
muneris partem, propter parochianorum propriamque salu-  
tem ad Deum pie missae, effectus Spiritus Sancti gratiosos  
eosque supernaturales in pectore ministri ecclesiae augebunt  
eumque ita ducunt, vt aedificet animos sibi concreditos et  
ex paucis verbi diuini feliciter ducat ad gloriosa pabula futu-  
rae in coelo hereditatis. *m*)

## §. XXIV.

o.

Haec fere sunt, quae nunc de hac particula pastoralis  
prudentiae differere animus fuit. Quod statim in initio profes-  
sus sum, id in fine iterum profiteor, animi erga lubecenses  
Benefactores patremque charissimum grati causa hanc telam  
a me exorsam pertexamque esse; quodque mihi doctrinae et  
eloquentiae defuerit, id iterum peto, vt non culpandi scopi  
excusationem habeat. Caeterum rogo Deum, vt cuncta  
bona retribuatur Fautoribus lubecensium patrique dilectissimo,  
meque suo Spiritu ita regat, vt et a me in ecclesia olim  
largi fructus ferantur. Supremo vero Numini sit laus et  
gloria in saecula saeculorum! Scrib. ex Georgia Augusta  
d. XIX. Octob. c. d. d. cc. lxxxii.

*m*) I. Petr. I. 3-5.

